

ZU DER
AM 9. APRIL 1881

IN DER AULA DES

KÖNIGL. KATHOLISCHEN GYMNASIUMS ZU OPPELN

STATTFINDENDEN

SCHLUSSFEIERLICHKEIT

LADET EHRERBIETIG EIN

DR. HERMANN WENTZEL,
DIREKTOR DES GYMNASIUMS.


INHALT:

1. De Iuba metrico. part. I.
2. Schulnachrichten. Beides von dem DIREKTOR.

OPPELN.

DRUCK VON ERDMANN RAABE.


1881.



2002 Q 5

De Iuba metrico.

part. I.



Quam olim in Symbolis criticis ad historiam scriptorum rei metricae latinorum Vratislaviae a. 1858 foras datis de Iuba metrico proposueram sententiam, qua eum diversum esse a Iuba, Numidarum regis filio eumque sub finem tertii p. Chr. n. saeculi artem metricam scripsisse significabam, eam viris doctis ita probatam esse video, ut id fundamentum, quod ponere eram conatus, idoneum iudicarent, cui difficillimam quae est de ratione quae inter Iubam ceterosque metricos latinos intercedere videatur quaestionem superstruerent. quam qui primi tractandam susceperunt, laudi illud quidem iis ducendum est, quod quam disputationem multas habere cautiones dubitationesque non ignorabant, in ea sano atque integro iudicio utebantur et rei ipsius veritatem quamvis tenuissimam quam coniecturas admodum illas quidem speciosas, sed plerumque inanes omni fere destitutas probabilitate consecrari malebant. De Henrico Keilio, viro literis ornatissimo nemo nescit me dicere. qui, ut non de Rudolphi Westphali curis historiae rei metricae apud veteres excultae egregie impensis dicam, primum in Quaestionibus grammaticis Lipsiae a. 1860 editis, tum in indice scholarum in universitate Halensi per hiemem a. 1873 et 1874 habendarum, post in volumine sexto Grammaticorum latinorum et quid Iuba iis qui ante eum de re metrica scripserunt deberet et quaenam eius praeceptorum vestigia satis certa in iis grammaticis comparerent, qui eum insecuti sunt, accurate, ut asolet, disputavit eique quaestioni tantum lucis attulit quantum per testimoniorum paucitatem ambiguitatemque licebat. Vellem non minus sibi cavisset Otto Hensius, is qui post eum in tomo quarto Actorum societatis philologiae Lipsiensis a Frederico Ritschelio a. 1875 edito et copiosissime et doctissime de Iuba metrico disseruit. is enim caeco quodam ardore arreptus in summis honoribus huic metrico decernendis quidquid dotis apud ceteros artigraphos, quos si quis unquam, omnes uno in conspectu animo ille videbat, sibi deprehendisse visus est, utraque manu arripuit arreptumque in Iubae libros transtulit, eius unius ut auctoritatem exornaret illustraret exaggeraret. sic accidit, ut Hensius de metrico illo

librum totidem paginarum componeret quot voculae in eius fragmentis leguntur eorumque fragmentorum ipsorum numerum liberalius in immensum augeret nec minus centum undequingenta ad Iubam auctorem referret, cuius omnino quindecim tribuenda esse memoriae fide constaret. nam multa, quae Iubam praecepisse veri est simillimum cum in ceterorum metricorum, tum maxime in Aphthoni (quem vulgo dicunt esse Marium Victorinum) commentariis latere eiusdemque de magna Iubae auctoritate verbis decantatis*) aliquantum fidei esse habendum, etsi non tam iniquus sum ut negem, fieri tamen non potest, ut quisquam Hensium existimet in arcem ipsam quaestionis invasisse eamque ita absolvisse, ut qui rursus in rem ab eo tractatam aliquid studii conferre velint in iis quae ab eo sunt disputata sibi esse acquiescendum putare unquam possint. quanquam multa iidem videbunt in iis inesse quae acute dicta scituque dignissima sunt quaeque speciem summae eruditionis impigerri-maeque industriae luculenter prae se ferunt; sed his lectis, credo, mallent argumentorum veritate imbutos quam fallaciarum nube involutos se abire. quam omnem discutere disputationemque e tot tamque artificiosis gyris maeandrisque, in quos Hensius eam deduxit, expedire quoniam intellego non esse ita facile, ut paucis possimus rei universae summam amplecti et transigere, hac occasione oblata, ut iisdem qui nobis concessi sunt contineamur terminis, aliam eamque novam viam ingredi placet, qua melius in quanto honore habendus sit metricus possit intellegi. Ac sic agendum esse ut statuerem cum alia tum maxime illud me movit quod Hensium plura de oratione artigraphi disserere eamque miris praedicare laudibus videbam. nec enim solum elegantiae quoddam studium in Iuba non posse non cognoscere eum qui vel ad unum alterumve eorum locorum quos supra attulerit diligentius animum adverterit, sed etiam tantum abesse docet ut ubertas dictionis varietasque requiratur ut non nunquam scriptor ad immodicam fere verborum copiam delapsus esse videatur (pag. 117. 118). hoc quidem recte fortasse dixerit, modo ne confunderet Iubae grammatici verba cum Aphthoni, quem rhetorem fuisse indoles totius operis plane declarat quaeque scripsisset rhetor a grammatico esse scripta opinaretur. quid? quod Iubam censebat (p. 136. 148) graecum sermonem parum calluisse et cum tam caste pureque lingua usus latina videretur ut 'genus dicendi ad Ciceronis ubertatem et numerum non nihil esse conformatum' appareret, graecis literis minus fuisse eruditum, eum qui Heliodori vestigiis insistere diceretur? quo quid potest esse perversius? certe enim indicia quaedam repperisse nobis videmur, e quibus animadverti licet orationem qua fuerit usus Iuba huic tantae laudi esse imparem; nam non solum istius quae Hensio visa est elegantiae varietatisque nec vola nec vestigium apparet, sed etiam auctorem eum deprehendimus qui nulla satis urgente necessitate graecis vocibus quas pro latinis substituat complusculum utitur. Quod recte a me esse observatum ut cognoscatur, si velimus verba sola premere quibus praecepta metrica traduntur, cum sit periculum ne in orbem circumagatur, de versibus latinis quos Iuba apposuit, ut ea quae praecepit exemplis muniret,

*) Mar. Vict. p. 94. 6 K. 'at Iuba noster, qui inter metricos auctoritatem primae eruditionis obtinuit, insistsens Heliodori vestigiis, qui inter Graecos huiusce artis antistes aut primus aut solus est, negat' etc.

potius esse videndum equidem existimo hinc plus me lucri esse percepturum ratus quam si in Iubae disputationes vel diligentissime inquisierim, quae, praeterquam quod perpaucae sint, pleraeque ambiguntur num ad Iubam ipsum revocandae sint ac non ad eum grammaticum cuius verbis interpositas videmus.*) atque mihi eam quam dixi viam ingredienti etiam haec opportunitas offertur quod, cum semel qua ratione Iuba in versibus pangendis usus sit perspexerimus, iidem de hominis et ingenio et dignitate rectius et certius quam adhuc licebat cognovisse et ad eius quandam imaginem delineandam non nihil contulisse videbimur. hunc quidem fructum huiusce *εὐρήματος Μουσῶν* percepisse satis mihi sit; quo qui maiorem exspectaverit is mihi credat velim quae quaerendo investigarier possint, quantum in me situm fuit, intentata a me non esse relictas neque labori me pepercisse impavidumque 'dumos inter et aspera' incessisse in horrida loca, ubi *ὑπὸ παντὶ λίθῳ σκορπίος* lateret.

Omniū quotquot exstant fragmentorum constat primum locum obtinere tractatum illum de versibus nullo nomine auctoris addito ab Eichenfeldio et Endlichero in *Analectis grammaticis* Vindobonae a. 1837 e codice vetustissimo olim Bobiensi, nunc Vindobonensi pag. 516 seqq. editum. nihil in eo inesse quod ad Iubam metricum non referretur primus indicavi in *Symbolis criticis* (p. 25) et in *Quaestionibus metricis* a. 1864 editis (p. 2). neque est neque esse potest ulla ea de re inter homines doctos dissensio.***) Sed sic equidem intellegi volo, quae illo fragmento continentur etsi dubitari non potest quin e Iubae Arte ipsa fluxerint ea tamen non ita fluxisse, ut integra inde transcripta esse dicere possimus. quae ut insolitae doctrinae metricae indicia, quae frustra apud alios artigraphos requisiveris, non admodum pauca ferunt, ita in omnia ieiunitatis atque sterilitatis vitia tantopere defluunt ut eam quam habent formam indolemque Iubae Artis fuisse facere non possimus quin negemus. itaque Keilius quod fragmentum illud esse quoddam excerptum esse censeret rectius fecisse putandus est quam Westphalius qui cum Iuba id non aliter quam Atili Fortunatiani aliorumque, quos illius potissimum auctoritatem secutos esse constaret, libros cohaerere sibi persuaderet neque cogitaret hos quos attulit metricos praeterea etiam aliorum libros adisse, in excerpto autem Bobiensi nihil legi quod, ut iam dixi, non ex unius Iubae copiis repetitum esse statueremus. Qui hoc fragmentum in codicem Bobiensem transscripsit, omnem ei turpissimorum vitiorum, quibus verba excerptoris inquinata sunt, culpam sustinendam esse non dixerim; immo eum exemplar iam corruptissimum mendisque foedissimis contaminatum in tristi opella sua adhibuisse inde apparet, quod reliqui qui eadem manu scripti tractatus grammatici in codice leguntur, si non corruptelis omnis generis carent, at certe non eadem pravitate laborant. ac ne quis putet editores illos doctissimos, cum fragmentum illud ederent, socordius rem suam gessisse multaue aut perperam legisse aut per negligentiam praeterisse, vel e nova codicis collatione, quam Pius Knoellius, vir huma-

*) Keil qu. gramm. p. 17. id. Ind. Schol. Hal. 1873. p. IV. Ritschl op. phil. I. 187. Bergk Mus. Rhen. nov. I. p. 379. Westphal Metr. I² p. 224. Hense l. I. p. 15.

**) Westphal l. I. p. 225. Keil Ind. Schol. 1873. Hense p. 151.

nissimus loco precibus meis dato accuratissime instituit, nihil fere potest colligi unde aliqua adhibeatur locis gravissime aegrotantibus medela; exceptis enim paucis quas annotavit iisque levioribus discrepantiis duobusque siglis, quae librarius non nullis versibus apposuit, omnia sic in codice scripta esse ut ab editoribus Vindobonensibus indicata sunt, Knoelli certo testimonio confirmatur.

Leguntur autem in fragmento Bobiensi viginti septem exempla metrica latina ac quidem iambica duo, trochaica tredecim, dactylica novem, anapaestica tria. praeterea apud Rufinum in commentario in metra Terentiana exstant novem, apud Priscianum de metris comicis unum, apud Mallium Theodorum in libro de metris duo versus, quorum alter, quoniam item in fragmento Bobiensi reperitur, in censum non venit, ut omnino numerus versuum latinorum duodequadragesima efficiatur, quos a Iuba Arti suae insertos esse constat. horum petivit e Vergilio duos versus hexametros (p. 623, 12 K.)

[I] **conticuere omnes intentique ora tenebant** (Verg. Aen. II. 1.)

et ibidem (22 K. 236, 12 Hense):

[II] **inferretque deos Latio genus unde latinum** (Verg. Aen. I. 6.)

et p. 624, 15 K. 237, 6 H.,

postquam de pentametro exposuit, cuius exemplum dedit

invida formosas oderat illa boves,

hexametro praefixo integrum illud distichon ex Ovidi Arte amat. I. 295 apponit:

[III] **Pasiphae niveo gaudebat adultera tauro,
invida formosas oderat illa boves.**

his singulis tribus Ovidi versibus librarius sigillum 7 praescripsit, quod quid sibi velit equidem non exputo; nam haec sigla, si etiam Vergilianis quos commemoravi versibus essent addita, facile possemus conicere auctorem indicare voluisse hos ita insignitos versus esse a poetis latinis depromptos, non a semet ipso fictos. reliquos enim omnes, quanquam de uno alterove aliter Keilius cogitasse videtur, cum nullus exstet qui cum aliqua probabilitatis specie ad certum quendam poetam latinum referri possit, Iubae ingenio deberi mihi persuasissimum est. quod ut statuendum esse censeam, non tenuia et exigua sed, quantum fieri potest in his tantis tenebris, in quibus usque versari cogimur, certa planaue ita me ducunt vestigia, ut ratione aliquot versuum recte perspecta etiam de reliquis probabilem coniecturam capere possimus quodque aperte et luculenter e non nullis exemplis intellegi liceat, id nihil habere videatur dubitationis quin latius pateat et in ea quoque non iniuria possit conferri, quorum quae sit nunc ratio perspicui aliter non potest.

Sed priusquam ad singula transeamus, pauca generaliter disputata sunt de Iuba versificatore. Heliodoro dubium esse non potest quin patrono graeci versus et qui apud Rufinum p. 561 seqq. K. leguntur et quos in fragmento Bobiensi excerptoris ignavia

intercidisse Keilius perspexit debeantur. inter hos autem graecos quos Iuba ex Heliodoro petivit et latinos quos ipse addidit versus si quaerimus quatenus ratio intercedat, hos omnes nullo alio vinculo nisi metro contineri ut eluceat, satis est versus quos Rufinus laudavit inspexisse. e quorum comparatione, quoniam in iis res inter se dissimillimae tractantur, efficitur ut nihil nisi metrum in promiscuo habeant neque ulla alia similitudo animadvertatur.

De hac quam constanter tenebat via Iuba semel deflexit, cum de octametro catalectico iambico quod Boiscium vocatur apud Rufinum p. 564, 1 K. p. 259 H. exponeret. quod metrum quoniam Heliodorum, qui in enchiridio suo eam rationem tenuit ut in recensendis metris a monometro inciperet et ad longissimos versus omnis generis procederet non ignorabat aptorum e poetis haustorum exemplorum inopia laborantem ipsum sibi tale finxisse

Βοίσκος ὑπὸ Κυζικοῦ παντὸς γραφεὺς ποιήματος τὸν ἀτάκουν ἐρῶν στίχων Φοίβῳ τίθησι δῶρον
auctoris vestigiis pressis adversus suum morem exemplum hoc adscripsit, quod manifestum est de verbo esse e graeco expressum:

[III] Boiscus is de Cyzico novi repertor carminis. nam primus octonopedem
versum deo dicavit.

In reliquis quidem versibus Iubam id agere videmus, ut Heliodoreis copiis spretis ac neglectis suos ipse doctrinae thesauros adeat ex iisque quae ad rem tractandam pertinere videantur depromat. quos enim forte apud poetas graecos et scenicos et lyricos legerat locos memoria bene adiuvante praesto ei erant, cum exempla congereret latina. neque vero putandus est ad literam hosce locos ita vertisse, ut quae sit eorum origo statim possit intellegi; plerumque enim eos adeo immutabat tantisque locupletabat accessionibus, ut ne metro quidem quo graece erant scripti semper observato poetae sententiam liberius adumbrando circumiret, dum eam quam ratio metrorum postularet formam repperisset. minus autem quam graecos legisse et pervolutasse videtur latinos poetas, e quorum numero Vergilium solum afferre possum, in cuius lectione satis eum fuisse exercitum apparet. nam eundem Septimi Sereni opuscula ruralia inspexisse et in manibus habuisse Hensius adeo nullis certis argumentis comprobavit, ut potius cum Keilio (Gram. lat. VI. p. XV. XVI) huius poetae versus e Terentiano eum hausisse et more suo commutatos in Artem recepissee suspicer. de his Vergili idem quod de poetarum graecorum versibus observari licet. quos omnes ita eum figurasse novimus, ut aut ex uno aut ex pluribus quasdam locutiones vel voces arriperet, quas in eam quam vellet formam metricam redigeret, cui perpoliendae diligentius quam sententiarum quae continentur perspicuitati et integritati consulebat.

His expositis quoniam de singulis erit nunc videndum versibus, eam viam ac rationem mihi ineundam esse existimo, ut primum de iis versibus non nulla disputem, qui non sine aliqua veri specie ad poetas graecos, tum de iis, qui ad Vergilium aperte referri videntur, post eos omnes subiciam, qui certi cuiusdam auctoris nomini addici nequeunt, denique quid hac disputatione effectum sit paucis comprehendam.

Primum igitur de iis exemplis disseramus, quorum originem a graecis poetis deducendam esse veri est simillimum.

In fragmento Bobiensi de metro trochaico leguntur haec p. 621, 5 K. 262 H. 'Monometrum hypercatalectum, quod penthemimeres sive pancration appellatur, ut est apud Euripiden

[V] *ter peribimus*'.

Sic egregie hunc versum correxit Keilius nescius codicis scripturam non accurate ab editoribus Vindobonensibus indicatam esse qui legerunt 'ter fer vidimus' et annotarunt 'pro fer, quod in ipso codice tribus punctis superimpositis improbatur, legendum fortassis iterum ter', quod quidem cum metri ratione repugnare in promptu est. at in codice legitur Knoelli testimonio

ter per vidimus

in margine eadem antiqua manu adscripto siglo Z. quisnam versus Euripideus interciderit ut nescitur, ita certum est nullum monometrum hypercatalectum velut *τρίς ἀπολούμεθα* vel *τρίς φθερούμεθ' ἄν* vel similia in iis quae hodie huius poetae tragici supersunt exstare. potius Iubam, cum hunc versum scriberet, loci cuiusdam ex Orestis fabula petiti meminisse censeo, in qua v. 434 tale comma trimetri iambici legitur:

διὰ τριῶν δ' ἀπὸ πολλοῖσι.

quae verba haud dubie metricus in eam sententiam interpretatus est, ut iis cumulum addi ad aerumnas significaret, quibus quis oppressus periturus esset, ut eadem sententia efficiatur quam Aeschylus in Choeph. v. 691 in hunc modum expressit *οἷ' ἡγὼ, κατ' ἄχρας ἐνθάδ' ὡς πορθούμεθα*. nec aliter de Euripidis loco iudicavit Brunckius et post eum G. Dindorfius, qui *διὰ τριῶν* pro *παντελῶς* accipi voluerunt, quanquam G. Hermannus vestigia partim quo ducunt scholia quaedam insecutus artificiosius quam verius proprie id dictum esse opinatur 'quod respondet Menelaus. Respicit Orestes triplicis caedis in se expetentem vindictam, Palamedis, Clytaemnestrae, Aegisthi. hic est ille *τραγῆμος* quo se plane prostratum significat'. quod si Iubam veram huius loci sententiam assecutum esse crediderim, tamen non nihil a consuetudine poetarum romanorum recessisse videtur, quos omnibus notum est, si quid in maius extolli volebant, illud vocabulum 'ter' non verbis, sed adiectivis solis adiungere solere, ut est apud Horatium (carm. II. 14. 7) 'ter amplum Geryonen' et Ovidium (Metam. 8, 51) 'o ego ter felix'.

ibid. p. 622, 8 K. 264, 6 H. versum quem de tetrametro trochaico catalecto subiecit

[VI] *tale quale vere primo sibilat teres donax.*

non vereor ad Stesichori Orestiam referre, ex qua post aliud haec duo frustula servavit schol. Aristoph. Pac. v. 800 (Bergk., poetae lyr. III³ p. 984)

ἔταν ἥρος ὦρα κελαδῆ χελιδῶν

et v. 797 (Bergk., ibid.)

τοιαῖδε χορὴ Χαρίτων δαμώματα καλλιόμων
ὕμνεϊν Φρύγιον μέλος ἐξευρόντας ἄβρῶς ἦρος ἐπερχομένου,

nisi forte putas Aristophanem poetae lyrici verbis leviter mutatis in Pace v. 800 sic scribentem

τοιαῖδε χορὴ Χαρίτων δαμώματα καλλιόμων
τὸν σοφὸν ποιητὴν
ὕμνεϊν, ὅταν ἦρινά μὲν φωνῇ χελιδῶν
ἐξομένη κελαδῇ

a Iuba esse adhibitum. sed utcunque erit, sive Stesichorum, sive Aristophanem metricus respexit, quaestio subdifficilis nascitur, quomodo fieri potuerit ut vocabulum *χελιδῶν* latine reddatur 'donax'. quam difficultatem ut tollam, non multum in Iubae ingenio delinquere mihi videbor, si ita eum egisse statuero, ut vocabulorum 'hirundo' et 'arundo' simili sonitu captus, metro ut satis fieret, pro altero substitueret vocem apud graecos magis quam apud Romanos usitatam 'donax'. quam rationem quanquam non impedio quin quispiam eam iudicet quae coniectura incerta fallacique nitatur Iubamque omnino dubiae fuisse sanitatis ostendat, tamen alteram quam paratam esse video viam, qua ex hac tanta difficultate possim evadere, ingredi dubito potiusque eam quam semel ingressus sum tenere malo. nam alterum Aristophanis locum qui est in Nubibus v. 311:

ἦρί τ' ἐπερχομένη Βρομία χάρις
εὐκελιδῶν τε χορῶν ἐρεθίσματα
καὶ Μοῦσα βαρύβρομος αὐλῶν,

licet quasdam similitudines cum Iubae versu habeat, tamen genere nimis ab eo differre patet quam ut probabiliter possit ad eum referri.

Sed non meris suspicionibus de isto versu me iudicasse versus docet qui legitur de metrico ionico maiore apud Mallium Theodorum p. 599, 1 K. p. 148 et 278, 3 H.:

[VII] ipsa est Chios, ipsa est Samothrace

Quod in Quaestionibus metricis pag. 16 seqq. coniecera hunc versum ex Eupolidis comœdia quae πόλεις inscribitur esse petitum, in qua poeta comicus aliam civitatem maritimam post aliam suis quamque fulgentem insignibus in scenam producit his usus a schol. ad Aristoph. Av. v. 881, Plut. 718, Pax 1142 (cf. Meineke, fragm. poet. com. antiquae I. p. 509. 508. 510) traditis versibus:

αὖτη Χίος, καλὴ πόλις . . .
πέμπει γὰρ ἡμῖν ναῦς μακρὰς ἄνδρας θ' ὅταν δέησε,
καὶ τᾶλλα πειθαρχεῖ καλῶς, ἀπληκτος ὥσπερ ἵππος,
Τῆνος αὖτη
πολλοὺς ἔχουσα σκορπίους

et

et
 eumque in hoc civitatum choro Samothracae insulae, quam quidem pro opportunitate loci maxime Atheniensibus mari bellum gerentibus cum Lacedaemoniis se commendasse dicebam, locum quendam assignasse credibile est, in eo etiam nunc puto esse acquiescendum, sed in una re me errasse confiteor, quod nunc intellego in Heliodori enchiridio talem quem tum suspicabar versum

αἶτη Χίος, αἶτη Σαμοθράκη

Iubam non repperisse ipsumque sua comicorum graecorum lectione in istos Eupolidis versus delatum pronominiibus *οὗτος* et *αὐτός* male confusis versum in eam quam Mallius Theodorus servavit formam redegissee.

Neque multo alia est ratio eius tetrametri iambici catalectici, qui exstat in fragmento Bobiensi et nunc apud Keilium p. 620, 6 et apud Hensium p. 150. 152. 258, I sicut e corrupta codicis lectione 'uidi infantem iouis titynthum sigillum' a me in iisdem Quaestionibus metricis p. 2 seqq. emendatus est legitur

[VIII] Videtis infantem Iovis Tirynthium tenellum

Iubam enim hunc versum componentem Aristophanis Acharnenses et eos quidem versus (v. 1226 seqq.) ubi Dicaeopolin utre reportato tumentem non nihil perstringit eumque Herculi Tirynthio Augiae domitori laude quodammodo parem proponit, in mente videri habuisse eram opinatus idemque illum ex Acharnensium exodo (v. 1227) hunc versum

ὁρᾶτε τουτονὲ κενόν, τήνελλα καλλίνικος

suo more in speciem longe aliam mutasse indicaveram. nam ex alia eiusdem poeta comoedia deperdita, id quod tum in incerto relinquebam, eum esse depromptum ratione satis circumspecta, quae hodie mihi stat sententia, vix crediderim. in quo etiam illud animadverti velim, Iubam eum Herculem, quem *τήνελλον* i. e. *νικηφόρον* praedicaret, si communi sermonis latini consuetudini consulere vellet, non debuisset dicere 'infantem Iovis'. certe Hercules cum Augiam debellaret erat adultus et ex pueris iam dudum egressus.

Quem Rufinus in comment. in metra Terentiana p. 562, 4 K. 254, II H. trime-
trum iambicum ponit

[VIII] videre non vult Caelium Panaetius

certa eaque leni emendatione corrigi posse puto, si legatur 'Calliam', non 'Caelium'. nullus est enim Caelius iste Romanus, qui huc facere possit nec magis de Laelio Sapiente, qui summa erat familiaritate cum Panaetio, philosopho illo Stoico coniunctus cogitari licet; dico autem Calliam Hipponici filium, quem Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetae acerbissime in comoediis exagitare solebant, si Aristophanis scholiastas audimus, qui eum non solum patria bona per lasciviam lacerasse, sed etiam, cum rebus venereis esset deditus, in adulterio deprehensum esse commemorant. cf. schol. Arist. Av. 283: 'Ο Ἱππονίκου Καλλίας ἐδόκει τὰ πατρῶα διεσπαρχέσθαι εἰς ἀσέλγειαν. κωμωδεῖται δὲ εἰς ἀσέλγειαν καὶ ὡς ληφθεὶς μοιχεύων ἀπέτισε χρήματα. κωμωδῶθηκε δὲ αὐτὸν ἱκανῶς Εὐπολὶς ἐν τοῖς Κόλαξιν. schol. Ran. 429: κωμω-

δεῖται δὲ ὁ Καλλίας ὡς σπαθῶν τὴν πατρικὴν οὐσίαν καὶ μάλιστα ἐπὶ γυναιξὶ μεμηνώς. schol. Eccl. 810: Καλλίας τις ἐγένετο πλούσιος, δς εἰς πόρνas τὴν ἑαυτοῦ οὐσίαν κατηγάλωσε καὶ λοιπὸν πένης ἐγένετο. cf. schol. Equ. 527. — Hunc quidem Calliam in simultate cum Panaetio quodam esse potuisse non mirum videbitur, si quidem hunc eundem Panaetium fuisse putabimus, cuius uxor teste schol. ad Arist. Av. 440 et ipsa exercebat adulteria: διαβάλλει δὲ αὐτὸν (sc. Παναίτιον) ὡς καταλαβόντα τὴν γυναικα ἑαυτοῦ μοιχευομένην. ἐδυναστεύετο γὰρ ὑπ' αὐτῆς μεγάλῃς οὔσῃ. aliquam enim atque eam quam accipi velim inter utrumque rationem intercedere vel ex eo colligi potest, quod Aristophanes in eadem Avium fabula v. 283. 440. utrumque maligno suo dente carpit. neque tamen crediderim ex hac vel alia eiusdem poetae fabula hunc versum esse petitem; multo magis ea opinione ducor ut Eupolidis eam comoediam quae inscribitur *Κόλακες*, in qua nimium epularum voluptatibus spatium fuisse concessum fragmenta quae exstant docent, a Iuba adhibitam esse existimem; quae opinio non nihil eo confirmatur, quod non nulla scholia Panaetium *μᾶλιν* fuisse tradunt.

In fragmento Bobiensi de versibus haec de hexametro bucolico scripta exstant p. 623, 14 K. p. 235 H.: 'sunt praeterea heroī versus, quibus et Homerus et Theocritus facile usi sunt, qui bucolici dicuntur, quorum caesura non penthemimeres nec hephthemimeres, id est in secundo et dimidio vel tertio et dimidio pede, sed in quarto, et finita quidem parte orationis, non, ut in illis, syllaba sequenti parti caesurae ex priore iuncta. (cod. 'revicta'; corr. K.) huius exemplum est

[X] Dic age, dic mihi, bove Liburnica qui colis arva'.

tertium pedem turpe habere vitium nec ferri posse pyrrhichium 'bove' Keilius cruce praeposita significavit. coniecturis quibus Christius et Hensius hunc locum tentaverunt omissis metrum nisi illo ipso Theocrito arcesso, cuius paulo ante grammaticus mentionem fecerat, restitui non posse equidem pro certo credo. dubitari enim nequit, quin Iuba, cum exemplum hexametri bucolici quaereret, in eclogae quartae primum versum inciderit:

Εἰπέ μοι, ὦ Κορύδων, τίνος αἱ βόες; ἦρα Φιλώνδα;

cumque intellexeret nomini Corydonis metrum adversari, nomen eius pastoris posuerit, cui Theocritus hunc versum attribuit i. e. Batti. itaque intellegendum est pro vitioso 'bove' scribendum esse vocativum 'Batte'. reliqua pleraque, quae in hoc versu leguntur, Vergilio debentur, ut illud 'dic age', quae formula, qua latine vertitur εἰπέ μοι, in Aen. VI. 343 reperitur (praeterea etiam apud Ovidium fast. I. 149) et 'Liburnica arva', quae repetita videntur ex Aen. I. 242 seqq.:

'Antenor potuit mediis elapsus Achivis
Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum et fontem superare Timavi,
Unde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare proruptum et pelago premit arva sonanti.'

Difficiliora sunt ad emendandum quae in eodem fragmento de tetrametro trochaico hypercatalecto scripta sunt (p. 622, 26 K. 266, 7 H.) 'tetrametrum hypercatalectum aicmanos alites cupidines calore cirio gerunt'. quem locum, postquam editores Vindobonenses pro 'cirio' scripserunt 'Sirio', ita correxit Keilius 'ut est illud Alcmanis

[XI] **saevus aliger Cupido nos calore sirio gerit.**

quam correctionem etsi fortasse non omnia menda sustulisse et etiam nunc alia habere in quibus offendare affirmari licet, tamen interim recipiendam esse duco, modo legatur 'terit'. Sic etiam Telestes Selinuntius in carmine Ἀργώ (cf. Bergk, poet. lyr. III³ 1274):

τί γάρ νιν εὐηράτοιο κάλλεος
ὀξὺς ἔρωος ἔτειρεν;

sed utrum ex hoc solo an ex alio poeta lyrico hic versus a Iuba assumptus sit, res est sane difficillima ad iudicandum. apud Archilochum quidem tetrameter trochaicus, cuius grammaticus item meminisse poterat, legitur hic (cf. Bergk, II³ p. 699):

ἐλπομαι, πολλοὺς μὲν αὐτῶν Σείριος κατανανεῖ
ὀξὺς ἐλλάμπων.

quocum cf. Lycophr. v. 397. ἀπὲς Σείριου κατανανεῖ. Ἔρωος apud Timotheum (Bergk, III³ 1273) περωτός et Amor vel potius Cupido apud Vergilium (Aen. I. 667) 'aliger' appellatur.

Alterum genus est versuum eorum, quos e Vergili compluribus locis a Iuba esse in unum confusos et consarcinatos constare mihi videtur.

Fragmentum Bobiense de metris illis dactylicis, quae primo loco pedes disyllabos admittunt et ab Hephaestione p. 24, 8 W. et haud dubie a Iuba ipso 'aeolica', ab excerptore autem Bobiensi perperam 'alcaica' appellantur, habet haec p. 623, 20 K. 236, 11 H.: 'dactylicum hexametrum, quod alcaicum nominatur et est variati generis in initiis: spondio,

inferretque deos Latio genus unde Latinum,
trochaeo,

[XII] **Nisus Aeolia chlamyda caput integit alte,**

iambo,

[XIII] **ama populeas medium super aethera frondes,**

pyrrhichio,

[XIII] **quasi me celeres fugiunt prope litora cervi.**

Quoniam de Vergili versu iam supra (pag. 4) disputavimus, de tribus reliquis videndum erit.

Quod ad primum attinet, Nisus ille qui commemoratur non est Hyrtacides (Verg. Aen. VIII. 176 seqq.), cuius amicitia cum Euryalo in proverbii locum cessit, sed Pandionis filius, Megarensium rex, insignis uno quodam capillo purpureo, quem Scylla filia, quanquam ex eo salutem patris regnique pendere sciebat, Minois amore incensa abscidit; quae res commemoratur et ab Ovidio (Met. VIII. 6 seqq.) et a Vergilio (Ecl. VI. 74 et Georg.

I. 404 seqq.). voces 'caput integit alte' in Iubae versum ex eorundem Georgicon loco leviter mutatae migraverunt, ubi (III. 422) de colubro dicitur

Iamque fuga timidum caput abdidit alte.

miro quodam fato fit, ut apud Ovidium l. c. v. 25 in illa ipsa de Scylla fabula haec fere eadem de Minoe legantur: 'seu caput abdiderat cristata casside pennis'. Sed iam quaeritur quo iure Nisum, qui Doriensis erat natione, Aeoliam chlamydem sibi induisse dici potuerit a Iuba. cuius animo tale adiectivum fortasse, quale fuit vel potius non fuit *αιολοχλάμως*, fuisse obversatum facile quispiam sibi excogitasse videatur, si apud Vergilium Aen. VIII. 581 'stabat in egregiis Arcentis filius armis, pictus acu chlamydem' et ibid. VIII. 167 'ille mihi . . . chlamydemque auro dedit intertextam' legerit, sed idem cum ab eodem poeta alibi chlamydem illam dici invenerit Phrygiam (ibid. III. 483 'fert picturatas auri subtemine vestes et Phrygiam Ascanio chlamydem' et ibid. v. 545; cf. praeterea Servium ad Aen. VIII. 582), libens tum concedet, metrum ne turbaretur, pro hoc adiectivo a metrico aliud, quod de aeolicis hexametris exponenti ultro se obtulit, esse insertum.

Alterum qui proximus est versum e tribus locis Vergili conflatum esse manifestum est: 'Frondes' enim 'populeas' legis Aen. VIII. 32:

huic deus ipse loci fluvio Tiberinus amoenus,
populeas inter senior se attollere frondes
visus,

et ibid. X. 190

populeas inter frondes umbramque sororum
dum canit;

et ibid. I. 383 pius Aeneas dicitur

fama super aethera notus.

quae autem difficultas in addita voce 'medium' remanet, alio poetae loco non nihil minuitur, qui est in Ecl. VIII. 57

omnia vel medium fiant mare,

i. e. mare immensum, sine fine, vel ut utar Servi ad h. l. verbis, 'ut nihil sit nisi mare, hoc est diluvium fiat medium'. Sic aethera dicere potuit Iuba 'medium', ut significaret populos frondosas in infinitum nullisque circumscriptum finibus aethera se extollere intuentis oculis videri. quanquam ne sic quidem orationem libere et eleganter fluere et currere dixerim. a quo loco longe diversam esse rationem versus Ovidi (Met. V. 644) 'et medium caeli terraeque per aera vecta est' non est quod pluribus demonstrandum esse arbitrer.

Qui in tertio versu fugere dicuntur cervi nescio an sint iidem quos Aeneas (I. 188)

tris litore cervos

prospicit errantes.

ibid. p. 621, 13 K. 262, 8 H. 'dimetrum trochaicum catalecticum, quod lecythion et euripidion vocatur, ut

[XV] **Martium canunt tubae**’.

Codicis scripturam ‘cartium canit tubae’ ex Atilio Fortunatiano p. 287, 26 correxerunt editores Vindobonenses sigli Z, quod in margine appositum est, nulla mentione facta. quod de hoc versu Hephaestion tradit p. 20, 7 W. *διμετρον μὲν καταληκτικόν, τὸ καλούμενον Εὐριπίδειον ἢ Ἀρχύθειον, οὗτον ἔστι*

νῦν δέ μοι πρὸς τευχέων
θοῦριος μολὼν Ἀρης

iisdem fere verbis etiam ab Heliodoro scriptum fuisse colligere possis, si quanta intercedat similitudo non solum inter praecepta sed etiam exempla metrica animadverteris; graecum autem exemplum, quod est ex Euripidis Phoenissis v. 250 Iubam quidem mori suo obsecutum non vertisse, sed, cum id legeret, cogitationes suas in Vergili locum hunc direxisse (Georg. III. 71)

Martius ille aeris rauci canor increpat et vox
Auditur fractos sonitus imitata tubarum

et ita eum quem legimus versum fabricasse probabiliter me exposuisse spero. nam cum isto versu, quem apud Petronium Eumolpus in notissimo illo de bello civili embolio (v. 135 p. 122 Büch. ed. min.) ‘et tuba Martem sideribus tremefacta ciet’ casu quodam factum esse ut aliquam Iubae versus haberet similitudinem vix pluribus opus est disputari.

Absurdum est exemplum alterum quod de tetrametro trochaico catalectico in fragmento Bobiensi ad fidem codicis apud Keilium 622, 9 (p. 264, 10 H.) scriptum est ‘quae scabri latus trage ualicta litoris vado’ neque multum proficitur emendatione ea quam Keilius in margine editionis suae proposuit ‘quae rapit ligustra grata lecta litoris vado’. neque hunc versum, quantum potest ex codicis pessime habitis verbis dispici, a Vergilio alienum esse documento esse possunt versus qui leguntur Aen. XI. 624 seqq.

qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus
nunc ruit ad terram scopulosque superiacit unda
spumeus extremamque sinu perfundit arenam:
nunc rapidus retro atque aestu revoluta resorbens
saxa fugit litusque vado labente relinquit,

e quorum duobus ultimis fortasse Iuba hunc versum conglutinavit, in qua de unda dicitur,

[XVI] **quae retro labens fugit voluta litoris vado**.

Quod ibid. p. 622, 3 K. 264, 1 H. adscriptum est tetrametri trochaici brachycatalecti exemplum

[XVII] **arma qui capit subinde Martiumque tergum**

corruptela quadam eaque inveterata, quae in ipsos Mari Victorini (p. 84, 24 K.) ex antiquissimis Iubae exemplis irrepsit, laborare video. nam etiamsi ‘tergum’ eodem quo est apud

Martialem VII. 2, 2 ('Martis tergus Geticum') sensu accipitur, ut 'scutum' significetur, tamen non intellego quo iure a scuto possint distingui 'arma' quorum illud pars quaedam est. Itaque scribendum esse conicio 'Martiumque telum'. sic etiam Vergilius Ecl. 9. 12

tela inter Martia.

apud eundem non semel legitur 'arma capere', ut Aen. II. 314 arma amens capio; VI. 859 tertiaque arma patri suspendet capta VIII. 139 solisque licet capere arma Mycenis.

ibid. p. 624, 28 K. 244, 6 H. dimeter anapaesticus brachycatalectus

[XVIII] super ardua fertur equis

ad plures Vergili locos potest referri: Aen. VI. 515 'cum fatalis equus saltu super ardua venit Pergama'; ibid. I. 475 'Infelix puer atque impar congressus Achilli fertur equis'; ib. V. 574 'cetera Trinacriis pubes senioris Acestae fertur equis'. Georg. I. 514 'fertur equis auriga neque audit currus habenas'.

Ad trimetrum iambicum pertinent hi duo versus quos Rufinus in comm. in metra Terent. p. 562, 6. 7. K. 255, 1. 2. H. e Iubae Arte affert:

[XVIII] vallis per imas amne labens caerulo.

[XX] armiger in Ida pede vago litora petens.

ad quorum alterum versum referendus est locus Vergilianus hic (Aen. VII. 801)

qua Saturae iacet atra palus gelidusque per imas
quaerit iter valles atque in mare conditur Ufens.

'caerula' appellat Vergilius 'vada' Aen. VII. 198, 'freta' X. 209. 'amnis' ipse 'caeruleus' dicitur a Tibullo III. 4. 18. 'labi' dicuntur 'flumina' Georg. III. 366. — alter autem versus videtur sine dubio compositus esse ex Aen. V. 254

quem praepes ab Ida
sublimem pedibus rapuit Iovis armiger uncis.

Sed haec hactenus. ut in iis quae adhuc disputata sunt fontes aperuisse mihi videor, e quibus satis magnam versuum a Iuba in Arte adhibitorum partem veri est simile manasse, ita in reliquis omnia sunt tam dubia tamque incerta, ut satius esse iudicem coniecturis quas, quantum equidem video, ad rem de qua agatur cognoscendam nihil fere valere certissimum est, omnino abstinere versusque nudos apponere paucis passim annotatis quae, etsi non arcte cum iis cohaerere non ignoro, tamen, ne omisisse videar quod alius me felicius non nulli habeat quaestui, prorsus extinguere atque opprimere dubito.

In fragm. Bobiensi p. 620, 7 K. 258, 3 H. 'pentametrum (sc. iambicum) hypercatalectum, quod chaeremonion appellatur a Chaeremone tragico,

[XXI] caeli serena qui regunt et aureos currus calentibus quadrigis'.

Cod. 'regat'; recte fecerunt editores Vindobonenses, quod hac lectione reiecta 'regunt'

scripserunt simili errore librarii indicato, qui p. 621, 13 K. (cf. fragm. XVI.) pro 'canunt' scripserat 'canit'. codicis scripturam 'regat' retinuit Keilius, qui eam ita defendi censet, 'ut pentametro in dimetrum acatalectum et trimetrum hypercatalectum diviso in fine prioris partis brevem syllabam pro longa admiserit grammaticus'. Ut h. l. de solis equis incertus poeta tragicus cogitasse videtur, ita Euripides in Andromeda (fragm. 114 N.) Noctem alloquitur

ὦ νύξ ἱερά,
ὥς μακρὸν ἱππευμα διώξεις
ἀστεροειδέα νῶτα διφρεύουσ'
αἰθ' ἑρὸς ἱερᾶς
τοῦ σεμνοτάτου δι' Ὀλύμπου.

hunc Euripidis locum Ennius in fabula cognomine (cf. Ribbeck, Scaen. Roman. poes. fragm. I. p. 23) ita expressit

(Nox) quae cava coeli signitinentibus conficis bigis.

ceterum cf. Soph. Ai. 845 (D.): σὺ δ' ὦ τὸν αἰπὸν οὐρανὸν διφρηλατῶν Ἥλιε . . . ἐπισχὼν χρυσόνωτον ἡγνίαν κ. τ. λ.

ibid. de metro trochaico p. 621, 8 K. 262, 3 H. 'dimetrum brachycatalectum, quod ithyphallicum appellatur. accipit autem tres trochaeos et non nunquam solutione trochaei tribrachyn, ut est

[XXH] fontium sorores'.

Verg. Georg. III. 381 'simul ipsa precatur Oceanumque patrem rerum Nymphasque sorores'. ibid. II. 494.

ibid. p. 621, 13 K. 263, 3 H. 'Trimetrum catalecticum, quod acephalum iambicum appellatur archilochium

[XXIII] Sol superna qui regis parens deus.

acephalum autem iambicum nominatur, quia, si praeponas unam syllabam, fit iambicum trimetrum acatalectum, ut est

O sol superna qui regis parens deus'.

Cui iambico trimetro in margine codicis adscriptum est siglum Ζ.

ibid. p. 622, 10 K. 265, 1 H. de tetrametro tragico

[XXIII] o parens antiqua nostrae gentis, Argivum decus.

dubito num suo iure hunc versum in fragmentis tragicorum incertis posuerit Ribbeckius l. c. p. 248. — Ἀργείων ἀρχηγία legitur in Eurip. Phoen. 1137 (N.).

ibid. p. 622, 14 K. 265, 5 H. de tetrametro comico

[XXV] super aquosis fontibus ipsa sederat ales Ceycis.

Alcman. fragm. 26 (Bergk III³ p. 843) βάλε δὴ βάλε κηρύλος εἴην, ὅς τ' ἐπὶ κύματος ἄνθος ἄμ' ἀλκυόνεσσι ποτῆται; quem locum Aristoph. Av. 251 sic imitatus est ὦν τ' ἐπὶ πόντιον οἶδμα θαλάσσης Φῶλα μετ' ἀλκυόνεσσι ποτᾶται.

ibid. p. 622, 17 K. 265, 8 H. et Mall. Theod. p. 595, 13 K. de tetrametro satyrico

[XXVI] qualis aquila cita celeribus rapida pinnis transvolat.

Alcaei fragm. 27 (Bergk III³ p. 939) ἔπταζον ὥστ' ὄρνιθες ὥκυν αἶετον ἐξαπίνης φάνεντα.

ibid. p. 622, 21 K. 266, 6 H. quod claudi tetrametri trochaici catalectici exemplum adscriptum est

[XXVII] o parens, o prisca nostrae gentis ara Romanae

more suo ex eo quod supra (XXIII) posuimus a Iuba fictum esse manifestum est; pro voce 'ara', quae molesta est, coniecit Keilius 'alma'.

ibid. p. 622, 22 K. 265, 10 H. 'dividitur autem tetrametrum trochaicum catalecticum in dimetrum acatalectum et dimetrum catalecticum, ut est

[XXVIII] ictibus secare membra,
corpus omne rumpere'.

Sen. Med. 476 (ed. Leo) 'secare membra non revicturi senis'. id. Thyest. 760 'ipse divisum secat in membra corpus, amputat trunco tenus umeros patentes et lacertorum moras, denudat artus durus atque ossa amputat'. Hom. Il. XXIII. 673 ἀντικρὺ χροά τε ῥήξω σύν τ' ὁστέ' ἀράξω. Pherecrates in comoedia Πετὰλη ap. Photium p. 204, 20 s. v. λαχπατεῖν παίειν με, τύπτειν, λαχπατεῖν, ὠθεῖν, δάκνειν.

ibid. de metro dactylico p. 623, 9 K. 230, 8 H. 'Octametrum dactylicum, quo usus est Stesichorus in Sicilia,

[XXVIII] audiat haec nostri mela carminis et tunc per tua rura volabit'.

Huiusmodi octametris dactylicis Stesichorum in Ἀθλοῖς ἐπὶ Πέλλῃ usum fuisse intellegi licet e fragmento primo (Bergk III³ p. 974), cuius initium facit versus hic: Ἑρμείας Φλόγειον μὲν ἔδωκε καὶ Ἀρπαγον ὠκέα τέκνα Ποδάργας. — Quod in initio latini versus legitur petium haud dubie est ex Verg. Ecl. 3, 50 'audiat haec tantum vel qui venit, ecce, Palaemon'.

ibid. p. 623, 29 K. 238, 4 H. 'Est et hoc carmen dactylicum, quod ex dactylico penthemimeri et proceleumatico pede compositum est,

[XXX] siqua flagella iugas, ita iuga'.

Ad rationem metricam Iuba hunc versum ex primo eorum versuum qui in proximo fragmento sequuntur accommodavit.

Priscian. de metr. Terent. p. 421, 5 K. 304, 6 H. 'attende Iubam quoque scire inveniri quosdam iambos, in quibus secundus et quartus pes absque observatione ponitur, quos cacometros vocant. idem in VIII: »Qui ergo confuderunt et multiformiter coniugaverunt hoc genus versuum, omnibus in locis indifferenter trochaeos aut pro spondeis aut pro dactylis posuerunt, et est haec quoque vitiosa confusio, ut

[XXXI] Siqua flagella iugabis, ante putare decet,
ne resoluta et vidua ulmis et ornīs
agri discidium dare Nysia rura queant'.

Nolo hic rem admodum lubricam coniecturis tentare nec pluribus inquirere qua ratione hi versus cum Septimi Sereni a Terentiano Mauro v. 2001 seqq. allatis

quando flagella iugas, ita iuga
vitis et ulmus uti simul eant;
nam nisi sint paribus fruticibus,
umbra necat teneras Amineas

